

III. DICHAEA CALYCULATA. TAB. CVI.

D. caulis erectis, apice laxis, compressis; foliis distichis, recurvis, plicatis, angustissime linearibus, obtusis; labello obovato deltoideo, basi cuneato, apice emarginato utrinque auriculato, brevissime unguiculato; capsula glabra; bractea ovarii calyciformi.

Crescit cum praecedentibus. Floret Julio.

DESCRIPTIO. Rhizoma longe prorepens, radicans, teres, squamulis vetustis vestitum, teres, lignosum, pennae corvinac crassitie, hinc et illic in nodis caulis propagines imbricatas radicesque emittens. Radices simplicissimae, teretes, lignosae, extus subere castaneo band tomentoso obtectae, pollicares. Caules simplicissimi, ascendentes, apice constanter laxe patuli aut deflexi, tereti compressi, per totam longitudinem vaginis foliorum alternis vestiti, inferne nudi, superne foliosi, pedem unum vel sesquialterum longi penna corvina crassiores. Vaginae ore patulac, ibique post foliorum delapsum truncatae, rigidae, emarcidae, striatae, glaberrimae, cinnamomeo purpureae, inferiores ut plurimum in fibras solutae. Folia cum vaginis articulata, facile decidua, recurva, angustissime linearia, obtusa, plicata, nervoso striata, glabra, pallide viridia, chartacea, rigida, bipolliearia. Pedunculus florem dimidia longitudine excedens, interdum fere duplo longior, tenuis, teres, patens, atropurpureus, bractea cyathiformi, ore quadridentata, calyculum simulante, ovarium laxe inclinante terminatus. Ovarium minutum, glabrum. Perianthium campanulato clausum, sepalis erectis conniventibus, obtuse acutis, concavis, subaequalibus, albidis, nervis purpureis, tenuibus variegatis: supremum reliquis paullo longius, trinerve: interiora reliquis magis concava: infima reliquis latiora, quinquenervia. Labellum erectum, ungue brevissimo in columnae basi decurrens, lamina deltoidea, basi cuneata, apice emarginata ibique utrinque auricula obtusa aducta, concava, enervi. Columna specierum reliquarum, post anthesin multis mutata, pede nimirum grandefacto, capitulo terminali antherifero protinus oblitterato, ita ut processus stigmatis subulatus persistens in hoc floris statu observatus tanquam ex margine stigmatis superiore nec ex inferiore originem capere videatur. Capsula ovalis, parva, glabra, bractea calyciformi persistente semi-inclusa.

Explicatio tabulae CVI. DICHAEA CALYCULATA. — 1) Flos integer ut reliquae partes omnes sexies auctus. 2) Sepalum superius. 3) Idem interius. 4) Idem inferius. 5) Labellum a latere. 6) Idem explanatum. 7) Columna post deflorationem mutata. 8) Anthera. 9) Pollinis massae. 10) Bractea calyciformis.